



1646, 1

13

THEOREMATA

Ex diversis Juris nostri capitulis desumpta,

Quæ

**AUSPICIIS SS. TRI-
ADOS,**

Permissu ac Consensu Amplissimi Ictorum Ordinis, in Inclutâ ad Guttalum Academia, *Guttulana*

SUB UMBONE

Clarissimi, Excellentissimi & Consultissimi *(Viz)*
VIRI,

DN. JOHANNIS BRUNNEMANNI,

Phil. & I. U. D. & P. P. Facultatis p. t. Decani spectatissimi, Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui longè honorandi,

Publico ac placido Eruditorum examini
subjicit

JOHANNES FABRICIUS, Sed. Pom.

Ad diem xxiiii. Julij Anni M DC XLVI.
Horis à 7. Matutinis.

Francofurti

Typis **NICOLAI KOCHII,**
Academ. Typographi,



EX JURE PUBLICO.

THESIS. I.

IN Causa justitia, tanquam Bonae Spei Capite, quod te ducat ad
Triumphales illas terras, ut loquitur *Lippius lib. 5. Civil. doctr.*
cap. 3. omne ferè belli momentum positum esse, constans Poli-
ticorum est sententia. Etenim, secundum illud Poëtae:

Frangit & attollit, vires in milite causa,

Quæ, nisi justa subest, excutit arma pudor.

nec cùlibet fas est, ex qualibet causa, aperire belli istas portas, d.
Lippius d. l. c. 4. in princ. At verò justas hasce belli causas secer-
nere, hoc opus, hic labor est, eaq; in re multum defudant non in-
ferioris subselli Politici, dum varias justè belli causas constituunt.
Nobis inquirere impræsentiarum liceat, utrum vanus metus, va-
naq; suspicio, quæ ex crescente vicini potentia, alijsq; notis exo-
riri præcipuè solet, justam belli causam præbeat? In negantium ca-
stra secedimus. Idem ab omni æquitatis ratione abhorrere, ait *Ho-
go Grotius*, ut vim pati posse, ad vim inferendam, jus tribuat, *tra-
ctat. de jure belli ac pac. lib. 2. cap. 1. num. 17.* cumq; ita vita huma-
na sit, ut plena securitas nunquam nobis constet, adversus incer-
tos metus à divinâ providentiâ, & ab innoxia cautione, non à vi
præsidium petendum est, *Grotius d. l.* Si tamen magna & evidens
timendi causa adsit, maximè, si cum talibus Principibus res sit, quæ
nullis contenti finibus, omnium fortunas invadere amant, ar-
ma rectè suscipi possunt, bellumq; illud utile appellat *Reinckling.*
in tractat. de regim. sec. & Eccles. l. 2. cl. 3. c. 2. n. 23. *Albericus Gen-
tilis* defensionem utilem, *in tractat. de jur. belli ac pac. lib. 1. c. 14.*
ejusdemq; defensionis exempla allegat plurima, *d. l.* Eam ob cau-
sam olim habebantur milites limitanei, qui immunes à tributis,
agros limitaneos possidebant, *l. 3. C. de fundis, limitrophis &c.*
& in equis & armis ad subita belli executabant, *Florus l. 1. cap. 1. in
fin.* quales sunt hodiè, Die auf den frontieren und Gränzhäusern
in der Besetzung liegen. Vid. *Reinckling. d. l. num. 26.* & *Alberi-
cum Gentil. d. l. per eos.*

THESIS. II.

Quanquam in *e. ipsa pietas* 23. q. 4. Privilegia & dispensationes vulnera Reip. dicantur, id tamen non de omnibus omnino Privilegiis, sed illis tantum, quæ concedi immodicè solent, intelligendum est. Modica siquidem Privilegia, quæ certis personis vel rebus *l. 196. ff. de Reg. jur.* vel ob bene merita & dotes corporis vel animi, vel ob indigentiam, ætatem, imperitiam, sexum, infirmitatem, adversæ fortunæ miseriam, vigilantiam & diligentiam, & alia, quæ longo ordine, enumerat *Georgius Acacius Enekelius, Baro Hobenheimensis, in tractat. de Privileg. juris Civil. lib. 1. c. 10. per tot.* Principem concedere posse, in propatulo est, dummodo talia sint, quæ non à cæca Superioris cupidine, & inconsulta, temerariaq; agendi, quod lubet, voluntate proficiantur; quæ plenitudo potius tempestatis quam potestatis, eumq; , qui esse debebat Præsul, facit tanquam exulem *ut inquit Baldus*, sed quæ in ipsa humanitate, & boni publici studio habeant fundamentum, *Nov. 72. in princ.* item, quæ neq; divino, naturali, gentium & publico juri contrariantur, jusq; tertii immodicè & præter necessitatem non imminuant, *Clem. Pastoralis 2. X. de sent. & rejudicat. Anton. Faber lib. 1. Cod. tit. 11. defn. 1. & tit. 12. defn. 8. l. 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publ. fiat. l. 2. C. de precibus Imp. offerend. l. nec. avas. 4. C. de emancipat. liberor. l. fin. C. de incest. & inut. nupt. l. 7. in fin. C. de natural. liber. salvis scil. justitiæ regulis, & salvo rerum ordine, Enekelius Baro, d. l. lib. 1. c. 3. num. 5. ubi vide & regulas aliquot Privilegia imperaturo servandas, cap. 6. per tot.* Neq; dare solum Princeps, sed & arrogare Privilegia potest, sed cum moderamine. Ea enim quæ simplicia & merè gratiosa sunt, subditis aut quoq; aliis, ex benigna voluntate, munificentia, aut liberalitate, per gratiæ modum indulta, *Rauchbar. part. 2. q. 11. num. 20* facile & levioribus ob causam tolluntur. Ut n. levi occasione nata sunt, ita levi quoq; de causa rumpuntur, *l. fin. §. ait lex ff. de divorce. utq; ex voluntate constant, ita eadem quoq; dissolvuntur, juxta l. 25 ff. de reg. jur. Enekelius d. l. lib. 3. cap. 6. in fin.* sed tamen justâ, *arg. l. id quod nostrum. 11. de reg. jur.* Conventionalia verò Privilegia,

gia, quæ mediante contractu vel facto, iusto titulo, ex causa onerosa, puta, ob aliquod factum vel dationem præsentem vel futuram, impletam vel implendam, concessa sunt, aut acquisita, ut & servitorum aut meritorum compensatoria & remuneratoria, *Rauchbb. d. l. n. 1. 2. & 12.* ea, quæ Electoribus, Principibus, & reliquis Statibus, in Aurea Bulla, & aliis imperii sanctionibus, in quas Imperator & Status, tanquam per viam Contractus, mutuo consenserunt, concessa, *num. 9. & 10.* Privilegia jurata, *Christophorus Besoldus in delictis juris ex lib. 1. Pandectar. §. 13.* denique ad quorum conservationem ipse Princeps in regni exordio sese obstrinxit, vel ea ultro subditis promisit, *Idem d. l.* à supremo Principe, multò minus ab inferioribus Principibus, non facile, sed ex prægnanti demum & gravissimâ causâ, retractari, revocari, abrogari, mutari, alterari, innovari, modificari aut imminui queunt, *Rauchbb. d. l. n. 3. Erenkel. Baro d. l. lib. 3. c. 8. in fin.* Casus & causas, in & ex quibus Privilegiorum revocatio licite fieri possit, vide apud eundem *Rauchbb. d. l. n. 78. & seqq. Besold. citat. sup. loc. & Erenkelium Bar. l. 4. per aliquot capita.*

THESES. III.

Princes Antecessoris sui Privilegia, sine causa iusta, & legibus approbata, revocare non potest, sive successione, sive electione ad illud honoris fastigium pervenerit, *Rauchbb. part. 2. q. 11. num. 70. 71.* iustitiæ enim ac rationis ordo suadet, ut qui à successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui procul dubio voluntatem & statuta custodiat, *c. iustitia 25. q. 1. & cum Privilegia publicâ nantur fide, rationeque principalis eminentiæ, officii, imperii & jurisdictionis conferantur, proinde consentaneum est, quod Privilegia successores eodem vinculo & jure, quo Antecessores obligati erant, constringant, Georg. Acacius Erenkelius Baro. in tractat. de Privil. jur. Civil. lib. 3. c. 11. n. 44.* Sive sint servitorum aut meritorum compensatoria, quæ vim Contractus habent, quem Princeps ne quidem ex potestatis plenitudine dissolvere potest, cum in Contractibus utatur jure Communi, *l. digna vox. 4. versic. & oraculo presentis Edicti, quod nobis licere non putamus &c. C. de legib. Carpzov. de Lege Regia Germanor. cap. 3. sect. 14. per tot. Rauchbb. d. l. Ludolphus Schraderus, tract. Feudal. part. 10. sect. 1. num. 129.* Sive sint gratuita, ex eadem ratione, quæ supra fuit tradita; Sive denique Privilegia
sunt

sunt talia, quæ mediante Contractu, cum ipsis regnis inito, concessa sunt. Talia siquidem, ut regno coæva, in quæcumq; successorem transeunt, cumq; ipso regno sunt perpetua. *Vid. Carpzov. d. l. Euenkelius Baro. lib. 3. c. 11. per tot.* Sed hæc ita demum vera sunt, nisi aliquod horum Privilegiorum, sive simplex, sive remuneratorium, quod Contractus vicem obtinet, omninò esset intolerabile, & inofficiosum, ac cum destructione regni conjunctum. Tunc ne eum quidem successorem, ad eorum observantiam teneri æquum est, qui jure hæreditario ad regnum pervenit: quia prædecessor, ita contrahendo, lædere censetur Cororam, ex quo propter culpam vitio nullitatis Contractus laboraret, quo casu ipse Contrahens retractare & revocare eum posset, *Keinlingk / de regim. secul. & Eccles. l. 1. clas. 3. c. 10. num. 12. 13.* quæ tamen non præsumuntur Privilegia illa, quæ mediante Contractu, cum ipso regno, regniq; Proceribus inito, legitimè sunt concessa.

THES. IV.

Jus mittendi Legatos est tantum penes eos, qui nullius præter Immortalis Dei leges agnoscunt, qui sunt Supremi & Majestate præditi: quia Legatio propriè sic dicta, est juris Majestatis, & non nisi de rebus ac causis publicis fieri debet. Et si à subditis alterius mittitur Legatus, id fieri videtur in præjudicium Majestate præditorum, *Besold. lib. 1. Politic. c. 4. n. 29. Alberic. Gentil. l. 2. c. 3. Arumans de jure publ. volum. 1. Discurs. 14. & 8. Christophor. Forstner. in Hypomnem. Politicor. Centuria. Hypomnem. 32.* Hinc Elisabetha Angliæ Regina, Christophor. Assonvilius, ab Albæ Duce ad se missum, quod nullas à Rege ipso literas haberet, non admisit, *Conestag. 3. de bello Belgic. Vid. & d. Forstner. d. l. qui plurima exempla ex Thuanò & Meterano adfert.*

EX JURE PRIVATO.

THES. I.

De omnibus rebus, quæ ad rem nostram familiarem spectant, pacisci licet, nisi expressim pactio quædam à lege sit prohibita, *l. 7. §. 14. ff. de pact.* Ex illorum etiam numero est, pactum seu contractus celebratus super hæreditate tertii, adhuc viventis & ignorantis, sub successionis spe, in unum, omnesve ex paciscentibus aut contrahentibus devolvenda, de quo agit *l. fin. C. de pact. & ibi Castren-*

fs. Talia n. pacta non valent, siue sint de hereditate tota, siue de parte eius, Petrus Gilkenius, in commentar. ad d. l. fin. n. 16. ob rationes in ipsa l. fin. partim explicitè, partim implicitè positas, de quib. vid. Johannes Daurb. ad d. l. fin. C. de pact. fusillimè, & Gilken. d. l. nec non Hunnius in tract. de pact. c. 5. q. 1. Si tamen is, cuius successio speratur, consentiat & in consensu ad mortem usq; perseveret, valent, d. l. fin. nisi ipse forte. &c. Rationes hujus moderationis lege apud d. Gilkenium, d. l. n. 23. & seqq. Vid. quoq; Arumæus de jure publico, vol. 1. Discurs. Academiæ. 28. §. 2. Treutler. vol. 1. Diss. 6. §. 8. & Petrus Heigius, quæst. 6. n. 54. Indefinitè quoq; pacisci licet, l. 3. §. 2. ff. pro socio.

TRES. II.

IN finali iudicio, quando de finibus regundis quæstio incidit, Iudicis officium est, ut ad ocularem inspectionem procedat, & signa finium, si quæ fortè adsunt, inspiciat, (quæ sunt vel naturalia, ut montes, flumina &c. Sic Pyrenæi montes Galliam finiunt & Hispaniam; Alpes Galliam & Italianam, Germaniam & Italianam; Et Euphrates Romani imperii versus Orientem olim dicebatur limes, Vid. Sext. Ruff. & Cuspin. in Casarib. vel artificialia, ut columna finales, Brennsien/ Mart. Steine / pali de fossi &c.) & secundum illa agros adjudicet, l. in finalibus 1. ff. finium regundor. Myns. cent. 6. observ. 25. Quod si verò hæc non adsint, vel adsint, sed confusa, adeoq; evidentioribus finibus distingvi agros commodius sit, quàm olim fuissent distincti, tunc necesse est, ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adjudicari, quo casu conveniens est, ut is alteri certâ pecuniâ debeat condemnari, §. si finium 6. In lit. de offic. iudic. Hic ergò, secundum l. 3. C. finium regundor. Processus sit, ut iudex primùm inquiret de possessione, quantum quisq; de præsentî possideat; deinde super proprietate inquiret, quantum quælibet pars in litigioso loco habeat juris, & sic quantum quisq; possidere debeat: deniq; agrimensorem mittat, utriusq; partis sumptibus, l. 4. §. 1. ff. fin. reg. qui terminos collocet, quam collocationem per sententiam iudex postmodum comprobabit, Sicbard. ad l. 3. C. fin. regund. Vid. Schnei. de voinus ad §. quædam actiones. Institut. de actionib. Wesembec, in Parat. ff. fin. regund. n. 7. Oldendorpius class. 3. action. 14. in fin. Myn-
fug

ling. cent. 6. observ. 27. Treutler. vol. 1. Disp. 19. §. 5. Harprecht. ad §. 6. Instit. de offic. judic.

THESES. III.

Rescripta Moratoria, (Notnquvenell / Anstand. Schussbrief Li-
tera gratia, induciales, dilatoria, salvi Conductus, respiratiois,
securitatis, Gallicè Lettres de respit &c. Vid. Wilhelm Antonij Freun-
deberg in tractat. de Rescriptis moratoriis tit. 1. conclus. 4.) quibus de-
bitoribus privatis, vel universitatibus & Civitatibus integris, sinti-
fira fortunæ procellis, sine sua culpa obrutis, Creditorumq; mole
oppressis, prolongatione solvendi ad tempus, à Principe, sine sub-
reptione impetrata, succurritur, optimâ ratione nituntur, suntq; na-
turali æquitati, legi divinæ, charitatiq; Christianæ omnimodò con-
formia, l. 14. ff. de offic. Præsid. l. 9. §. fin. ff. ad L. Cornel. de Parrici-
dis. l. 28. C. de Episc. aud. l. 74. §. 1. ff. ad SCtum Trebell. l. 105. in fin.
ff. de solutionib. l. 33. ff. de usur. Exod. 22. v. 15. Lev. 25. v. 35. Vid. l.
2. §. l. universa. C. de precib. Imperat. offerend. l. fin. C. qui bon. ced. poss.
Reichs Abschied zu Auaspurg / de Anno 1548. tit. Von verborbenen
Kaufleuten §. Und nachdem / & de Anno 1577. tit. 23. Von ver-
borbenen Kaufleuten. §. Wann auch solche. Anton. Faber in Cod.
lib. 1. tit. 9. de fin. 6. §. aliquot seqq. Harprecht. ad §. 11. §. ult.
Instit. de except. num. mibi 5. 6. 7. §. seqq. Keimling / de regim. sec.
& Eccles. lib. 1. class. 5. c. 6. n. 31. Wilhelmus Antonii Freundeberg
de rescriptis morator tit. 5. concl. 6. 7. 8. 9. & 10. Lucas Beckmannus in
Disputat. de rescript. morat. §. 3.

THESES. IV.

Vulgata divisio ususfructus in Causalem & formalem, licet à
nonnullis, ut Gæddæo ad l. 25. n. 1. de V. S. & aliis quas vide ap-
ud Besoldum in delibatis juris, ex lib. 7. Pandectar. §. 5. reprobetur,
facilioris tamen doctrinæ & discretionis causa, à Dd. inventam es-
se, adeoq; tolerari posse, statuendum est, Leopoldus Hakelmannus,
Disputat. illustr. 7. §. 3. Causalem verò usum fructum vocant, qui
junctus est proprietati, quemq; dominus in re propria habet, Besol-
dus in delibatis jur. d. l. seu, qui comitatur proprietatem, & ideo di-
citur pars domini in l. 4. ff. de usufruct. vel plenum Dominium, §.
ult. Instit. de usufruct. Bernhardus Sobotanus, in exam. juris. ad tit.
ff. C. & Inst. de usufruct. Formalem dicunt, qui per se formam &
subli-

Subsistentiam habet, seu per se jus est formatum, nec cum proprie-
tate aliquid commune habet, sed ab eadem est separatus, *Besold, d. 1.*
Et de hoc usufructu loquitur §. 1. *U. l. c. excepto §. ult. Instit. de usu-
fruct.* isq; pars domini non est, sed nuda utilitas, detracta à proprie-
tate, & servitus, *l. 25. ff. de V. S. cum separationem à proprietate
recipiat, d. §. 1. Instit. de usufr. Vid. Giphanius in Antinom. jur. Civil. ad
Instit. Justinian. libros 4. Disputat. 9. ad §. 1. Wesembec. in w. ff. de us-
ufr. n. 4. 5. 6. & 7. Schneidevvin. ad princ. tit. Instit. de usufr.*

TRES. V.

IN emptione & venditione contrahentibus naturaliter se circum-
venire licet, *l. 16. §. 4. ff. de minorib. non quidem in ipsa re, sed in
pretio, d. l. 2. dummodo læsio non sit ultra dimidium justii pretii.*
Alias enim ex *l. 2. C. de rescind. vendit. aut rescinditur Contractus,*
autoritate judicis, ita ut emptor pretium, & venditor rem suam re-
cipiat; aut, quod justo pretio deest, emptor supplet, *d. l. 2.* Sed
consensum contrahentium in hoc contractu adesse oportet, qui li-
cet de jure Civili in venditione immobilium solus sufficiat, attamen
hodiè plerisq; locis non solum Magistratus, sed etiam aliorum, qui
prærogativam in emptione habent, consensus requiritur, qui, si
absit, res vendita retrahi & revocari potest, jure *ῥετραχῆς, sive
Retractus*, de quo in Constitutione Friderici, quæ extat *lib. 5. F. tit. 13.*
& definitur facultas, rem quandam immobilem, ab alio volunta-
riè venditam, intra tempus statutum, refuso omni pretio, redimen-
di à quocunq; possessore. Aliter definit *Bocerus class. 3. D. 12. §. 1.*
aliter *Tinquevillus, de Retractu.* Dividitur a. in species, quatenus a-
licui tribuitur & competit vel jure, vel facto hominis. jure vel com-
muni, ut Domino Emphyteuscos. *l. ult. C. de jure Emphyteus.* Agna-
tis, in venditione feudi paterni, *2. F. 26. §. Titius, vel Statutario, us
Civibus, Magistratibus, sociis, confinibus & vicinis, Consanguineis
intra 10. gradum, prout habet jus succedendi ab intestato. Vid.
Berlichius Conclus. 39 & 40.* Facto hominis, vel per testamentum,
si extra familiam res prohibeatur alienari, *l. 96. §. 3. ff. de legat. 2. l.
28. ff. de legat. 3.* vel per Conventionem, si jus Retroemptionis ita
reservavi, ut rem ipsam hypothecatam habeam pro eo jure: tunc,
si alienata est extraneo, habeo contra quem vis possessorem jus Re-
tractus.

tractus, *Berlich. concl. 40. n. 19.* Si verò simplex pactum est de Retro-
vendendo, tunc saltem personalis actio datur contra vendentem, nec
aufertur emptori res empta, *Berlich. d. l. Bocerus class. 3. D. 22. § 36. Vid.*
quod, Harprecht. ad §. loca. 5. § ult. Inst. de empt. § vend. à num- 185.
ad num. 228.

EX JURE FEUDALI.

THESIS I.

CLericis dari feuda possunt. Quamvis enim sint, quæ ab initio
obstare videntur, qualia tradit *Rittersbusius in partit. Feudal. lib.*
8. cap. 6. n. 3. § Hunnius in tract. feudal. cap 8. pag. m. 150. 151. tamen
clarissimis textibus juris Feudalis, & Canonibus moti, secundum mo-
res & communem opinionem, concludunt, Clericum bene feudi
capacem esse, si scienter à domino investitus sit, textus est in *§. item*
si Clericus. 2. F. 40. §. 1. versic. personam. Per quos fiat investitura. 2. F. 3.
& in jure Canonico *c. ceterum de judic. c. ex transmissa Extr. de for.*
compet. Sed hoc verum est, si Clerici de feudo novo investiantur.
In feudo n. antiquo non succedunt, sed si quis Laicus fuerit, & feu-
dum habuerit, deinde verò fiat Clericus, feudum amittit, *c. i. § qui*
Clericus. Si de feud. defunct. controuv. 2. F. 26. § c. i. in fin. An mutus
vel alius imperf. 2. F. 36. Per substitutum autem seu vicarium cum ser-
viti Clericus poterit. *Vid. Rittersbus. d. l. Vid quod, Schneidev. part.*
3. n. 104. § 105. Wesembecius, de feud. cap. 5. in pr. Vultejus fusissime & ele-
gantissime, tract. de feud. c. 9. n. 67. Hattyserus in Analyti juris feudal. cap. 6.
n. 3. Berens. Disp feud. 2. § 24. 25. § 26 Hartm. Hartm. practiar. ob-
servat. lib 2. tit. 54. observ. 3, Nicolaus Intrigliolus, tractat de feudis, q. 54.
num. 60, 61, 62. etc,

THESIS II.

Non corporales modò, verùm incorporales quoq; res, ut servitutes
& jurisdictiones &c. in feudum dari possunt, quia immobilibus ad-
hærent, & loco immobilium habentur, *l. 14. C. de Sacrosanct. Eccles.*
Clement. Extr. § cumq; annui redditus, de V. S. Wesembecius cap 7 in princ.
Quod tamen, secundum *Schneidev. vinum, tract. de feud.* tùm demum ve-
rum, quando dominus expressè in feudat jurisdictionem. Quia sub no-
mine prædiorum, bonorum, vel alterius rei particularis, non contine-
tur jurisdictio, cùm jurisdictio non nisi universitati accedat; Secus, si ca-
strum vel villam, cui inhæret jurisdictio, concederet in feudum, quia
tunc

tunc videtur etiam concessisse jurisdictionem, *part. 2. n. 57 & 58. Vid. Rittersb. in partu. feudali. c. 7. n. 13. Intrigliol. de feud. quest. 9. n. 11, 12. & 113. Berens. Diss. feud. 2. § 22. & 23. Wesemb. c. 7. in princ. Hactyser. c. 8. n. 1. Curt. jun. in tract. feud. part. 1. c. 7. n. 10. Vult. jus l. 1. c. 5.*

THES. III.

Incrementa feudi & accessiones, ad quem pertineant, non inutiliter quoque quaeritur? Distinguit Rittershusius, utrum dominus aliquid receperit & reservaverit in curte, seu villa feudi; an verò nihil, ut priori quidem casu incrementum pertineat ad dominum, siue illud sit latens, siue evidens: nisi statim vasallus etiã de illo fuerit investitus à Domino; Posteriore autem pertinere ad vasallum, § *si quis de manso, lib. 1. tit. 4. d. Rittershus. in partu. feudali. l. 2. c. 2. n. 6. ubi rationes vide, & plura. Aliter distinguit Sibneidevvin. qui videtur, part. 4. n. 81. & 82. Vid. quoque Hunnig de feud. c. 12. n. 4. Hactys. c. 10. n. 16. & Cujac. feud. 1. § si quis tit. 1.*

THES. IV.

Abusus rerum plerumque, punitur earundem privatione, ait Fridericus Husanus, in tractat. de hominib. propriis c. 8. n. 24. Hujusrei exemplum habemus in vasallo, qui vel malè tractans subditos suos, vel feudum dissipans aut insigniter deteriorans, vel malà mente & dolosè Justitiam facere recusans, *secundum c. un. § publici latrones versic. quicumque de pace tenenda. 2. F. 27. c. 1. de forma fidelitatis. 2. F. 6. & illud Curiae Parisiensis Edictum: Le Seigneur, qui abuse de sa justice en doit estre privé, feudo privari potest. Et ampliatur supra dicta assertio variis exemplis aliis, quae fusius legantur apud d. Husanum d. l. a. num. 24. usque ad n. 40. Verum, hoc cum grano salis accipiendum esse, moneat Johannes Hermannus Stamm, in tract. de servit. personal. l. 3. c. 36. n. 6. 7. 8. & seqq. ne scilicet, properanter nimis, & levato quasi velo, ad exemptionem statim provolemus, sed haec tria prius discutiamus, 1. an vasallus subditos suos tyrannice tractet, & insignibus damnis afficiat, 2. an ter sit juridicè ad faciendam justitiam à domino admonitus, 3. sub comminatione pœna privativa sit monitus & citatus, Stamm. d. l. n. 12. Idque Praxi Camerae Imperialis, & exemplis sat notis demonstrat, d. l. n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & seqq. Limitat tamen hanc sententiam, nisi notoriè constet, sepe & saepius vasallum malè tractasse subditos. Tum n. ut monitio superioris præcedat, non requiri, n. 12. Vid. fusius d. Stamm. c. 35. & 36. per tot. Harum. Prædicator observ. l. 2. tit. 54. observ. 36. & 43. Franciscinus Curtius jun. de feud. part. 4. n. 44. Liborius Hactyserus in Analysis juris feudali. c. iii. Gail. l. ii.*

l. 1. observ. 17 Myns. cent. 5. observ. 8. & elegantissimè Bernhardus Grav. Conclusion. Practicar. Cam. Imp. conc. l. 17. considerat 1, 2, 3. Matth. Wesemb. de feud. c. 15. Nicolaus Intrigliolus qv. 28. 94. n. 88. & qv. 98. n. 1150. & 116. Vultrius lib. 1. c. 11. num. 36.

EX JURE CANONICO.

THES. I.

Actum agunt, qui ex *c. cum apud. 23. & c. tua. 25. de sponsalib.* de monstratum eunt, consensum parentum in matrimoniis liberorum, de jure Canonico tantum de honestate, non necessitate requiri. Hi siquidem verborum tantum cortices horum capitulorum respicientes, quid aliis ex capitulis hæc præsupponant, vel internâ vi ac potestate suâ concludant, contra *l. 17. ff. de legibus.* non advertunt. Quando enim in his & aliis capitulis, consensus illorum tantum, de quorum, quarumq; conjunctionibus agitur, fit mentio, illud intelligendum est de consensu legitimo, qui parentum etiam includit, & ideo in *seq. c. 25.* dicitur *legimus viri & mulieris consensus,* qualis tunc demum est, si parentum interveniat, ut constat *ex can. aliter. can. nostrates 30. q. 5. & can. non omnis & can. honorantur. 32. q. 2.* Quod verò ad *can. sufficit. 27. q. 2.* attinet, patet, ibi non esse quæstionem, an Parentum consensus ad matrimonia liberorum sit necessarius, sed an sine consensu contrahentium, concubitus aut carnalis copula matrimonium cõstituat, quod ibi negatur, secundum juris quoq; Civilis effatum in *l. 30. ff. de reg. jur.* Et hanc Nicolai Papæ mētem non fuisse, ut consensus parentum in *d. can. sufficit.* excluderet, ex alia ejusdem dispositione in *supra allegato can. 32. q. 5.* constat, ubi perspicue parentum consensum desiderat. *Vid. Harprecht. ad princ. iii. Instit. de nupt. n. 56. 57. & seqq. aliquot.* Aliter hanc juris Canonici cum jure Civili consonantiam in terminis consensus Parentum, demonstrat *Conradus Rittershusius, in diff. jur. Civil. & Canon. lib. 1. c. 2. & Petrus Heigius, part. 1. q. 22. qui vidantur.*

THES. II.

Inter alia usucapionis & præscriptionis requisita, non postremum locum obtinet *Bona fides,* quam maximè requiri constat *ex princ. iii. Instit. de usucap. & l. un. C. de usucap. transfor.* An verò in omni præscriptione requiratur, non inutilis inquisitioni est. Et quidem in præscriptione 30. vel 40. annorum, seu temporis longissimi, tempus eundem, cum possessione nuda, absq; bona fide, de jure Civili sufficere

etia.

testatum faciunt l. sicut. 3. § l. seq. § l. 8. § 1. in fin. C. de prescript. 30. vel 40. annor. l. ult. in fin. C. Unde vi. § Nov. 119. c. 7. in fin. Verum per jus Canonicum hasce juris Civilis leges omnes, præscriptionem cum mala fide inducentes, correctas, adeoq; in hoc casu, ubi de peccato agitur, juri Canonico standum esse, communior, veriorq; Dd. sententia est, quæ etiam, si ipsa juris Canonici capitula, sic statutentia, resq; judicatas inspiciamus, sua ratione non caret. Vid. c. vigilanti. 5. § c. ult. Exi. de prescript. c. si diligenti. Exi. de prescript. § c. possessor 2. de reg. jur. in 6. Harprecht ad princ. tit. Instit. de usucap. n. 60. Rittersbus. in differ. jur. Civil & Canon. lib. 4. c. 13. Schneidevvin. ad princ. tit. Instit. de usucap. Myns. cent. 4. obs. 6. Gail. 2. observ. 18. n. 7. 8. 9. 10. Heigius part. 1. q. 16. Treutl. vol. 2. Diss. 22. § 6. Wesemb. in ff. de usucap. n. 11. Hakelman. Dissut. illustr. 20. § 17. & in terminis præscriptionis servitutum, Capol- la; tractat. de servitutib. urb. prædior. c. 24. n. 7.

THESES. III.

Communiter existimatur, judicem delegatum, non ordinarium, ut suspectum, posse recusari, l. apertissimi. 16. C. de judic. § Auth. Si verò C. cod. Nov. 86. c. 2. quicquid sit de jure Civili; tamen de jure Canonico certum est, etiam Ordinarium recusari petitus, ut suspectum posse, & eligi arbitros juris, qui de causis suspicionum cognoscant, c. suspitionis. 39. X. de offic. § potest. jud. deleg. c. si quis contra Clericum. 4. licet. 10. X. de foro compet. c. 41. c. 61. X. de appellat. Vid. Schneidevvin. ad §. omnium. Instit. de action. n. 26. Gail. 1. obs. 33. per tot. Myns. cent. 2. obs. 52. VVurmser. Practicar. observ. lib. 2. tit. 1. obs. 9. 10. 11. § 12. Rittersbus. in diff. j. C. & C. lib. 5. c. 8. Oldendorp. class. 7. action. 1. Zangerus, de exceptionibus part. 2. c. 4. Sichard. ad l. 26. C. de jud. n. 6. § 7. ubi & casus addit, propter quos ordinarius omnino recusetur, num. 8. Bernhardus Grævus, Conclusio. Practic. Cam. Imp. Conclus. 33. considerat. 1. 2. 3. 4. Ronbach / prax. civil. tit. 40. num. 19. Causas reculationis longo ordine vide apud Ludovicum Gilhausen / in Arbore judiciaria Civili, c. 5. ramusc. 10. n. 3. 4. 5. 6. § 7.

THESES. IV.

Appellationem gradatim, non omisso judice medio, per saltum fieri debere, jus Civile requirit, l. 1. § 3. § l. 21. ff. de appellat. Nov. 13. c. 4. Maranta in specul. aur. part. 6. de appellat. n. 3. Ronbach. prax. civil. tit. 73. princ. § n. 13. 14. ne jurisdictiones confundantur: Nisi mediatus judex suspectus sit, vel minus idoneus & c. ut in anteced. thesi tales reculationis causas, ex Ludovico Gilhausen / d. l. allegavimus. Sed iterum aliam viam jus Pontificium inambulatur. Rectè siquidem, secundum hoc, omittis immediatis iudicibus, ad Pontificem Romanum, sive sedem Apostolicam appellare licet, nec, ut gradatim appelletur, necesse est, c. dilecti 1. § c. 7. si deobus. de appellat. Plura & evidentiora loca, ex Decreto Gratiani, ut. c. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13. 14. 15. § 16. 17. 6. refert Rittersb. in diff. j. C. & C. lib. 5. c. 26. ubi & rationes legere licet. Vid. Myns. cent. 1. obs. 67. Treutl. vol. 2. D. 33. Th. 6. lit. a. VVesemb. in Par. ff. de appellat. n. 9. Gail. 1. obs. 119. n. 2. Greben. Conclus. Pract. Cam. Imp. Conclus. 119. in princ.

☞ (S) ☞

ULB Halle 3
003 499 200




SK

Vb 17







1646, 1

13

THEOREMATA
Ex diversis Juris nostri capitulis desumpta,

Qvz
**AUSPICIIS SS. TRI-
ADOS,**

Permissu ac Consensu Amplissimi Ictorum Ordinis,
in Inclutâ ad Guttalum Academiâ, *Guttalana*
SUB UMBONE
Clarissimi, Excellentissimi & Consultissimi *(in)*
VIRI,

DN. JOHANNIS BRUNNEMANNI,
Phil. & I. U. D. & P. P. Facultatis p. t. Decani spe-
ctatissimi, Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui
longè honorandi,

Publico ac placido Eruditorum examini
subjicit

JOHANNES FABRICIUS, Sed. Pom.

Ad diem xxiiii. Julij Anni M DC XLVI.
Horis à 7. Matutinis.

Frankofurti
Typis **NICOLAI KOCHII,**
Academ. Typographi,

